

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 72. Alia Præsulum, Regiorumque Doctorum epistola ad eundem Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

„meæ erga Sanctitatem vestram submis- Sæcul. XVI.  
 „sionis testimonium reddere volui, ei- A.C.1593.  
 „dem perdemisse supplicans, ut illas  
 „benigno obtutu dignari, atque in bo-  
 „nam partem vertere velit, prout illæ  
 „etiam ex animo sincero, affectuque  
 „pleno procedunt, ut per meas actio-  
 „nes sacram vestram benedictionem  
 „promererri valeam: eapropter, Bea-  
 „tissime Pater, Deum exoro, ut Sancti-  
 „tatem vestram diu incolumen pro bono  
 „regimine totius sanctæ Ecclesiæ con-  
 „servare dignetur.

„Fidelis, & addictus Filius  
 Henricus.

### §. LXXII.

*Alia Præfulum, Regiorumque Do-  
 torum epistola ad eundem  
 Papam.*

Præterea Præsules, & Doctores, qui *Offat. p.249.*

Regem Catholicæ fidei præceptis  
 imbuebant, cumque a censuris solve-  
 bant, desuper summum Pontificem cer-  
 tiorem reddiderunt, atque octavo Idi-  
 bus Augusti, seu sexta ejusdem Mensis  
 die communi omnium nomine ad eun-  
 dem Papam literas dederunt his con-  
 ceptas verbis. Beatissime Pater.

„Sub humillimo sacrorum pedum  
 „osculo nos Archiepiscopi, Episcopi,  
 Z 2 „Docto-

Sæcul. XVI. „Doctores, & Ecclesiastici, qui ex omni  
A.C. 1593. „nibus viribus nostris sub Sanctitatis  
vestræ, cui intime addicti sumus, au-  
spiciis in id intenti fuimus, ut Hen-  
ricus Rex noster ad sanctam Ecclesiam  
Catholico-Romanam rediret, humili-  
lime Sanctitati vestræ supplicamus,  
ut nullatenus opinari velit, quod vel  
temeritatis, aut arrogantiae stimulo  
aggressi fuerimus id, quod ur ente  
necessitate pro salute, & emolumento  
Ecclesiæ fecimus, nam Sanctitas ve-  
stra facile judicabit, atque evidenter  
cognoscet, quod omnia gesta fuerint,  
salva Sedis Apostolicæ dignitate, at-  
que submissione Sanctitati vestræ de-  
bita, hinc nulla mora ad Sanctitatem  
vestram ex nostris quempiam alegabi-  
mus, qui eandem de tota rei gestæ  
serie sigillatim certiorem reddat: in-  
terea summis votis Sanctitatem ve-  
stram exoramus, ut de nobis fave-  
tem concipere mentem velit tanquam  
de addicti nimis Ecclesiæ Filiis, Sancti-  
tati vestræ humillimo affectu subjectis,  
insuper rogamus Deum omnipoten-  
tem, ut eandem per plures annos suæ  
Ecclesiæ incolumen conservare digne-  
tur. Datum San-Dionysiopoli &c.  
Huic epistolæ ceteris prior nomen suum  
apposuerat Cardinalis Borbonius, post  
ea Bituricensis Epilcopus, Philippus  
Becus

Becus Nannetensis, Henricus Maignan Sæcul. XVI.  
 Diniensis, Ludovicus Sagiensis, Nico-  
 laus Thuanus Carnotensis, Carolus  
 Escarsius Lingonensis Dux, atque Epi-  
 scopus, & Claudius Cenomanensis An-  
 tistes, Carolus Episcopus Andegaven-  
 sis, Renatus Dallonius Castellatensis  
 Abbas, designatus Episcopus Bajocen-  
 sis, Joannes David Perronius, & Joa-  
 nes Volvira Coronensis Abbas, nec-  
 non Joannes Touchard Abbas Bellosa-  
 nensis, Joannes Hot Abbas sancti Ste-  
 phani Cadomensis, Renatus Benedictus  
 Parisiensis Doctor, Aymarus Chavana-  
 cus itidem Doctor, Claudius Moren-  
 nas ad sanctum Medericum Parochus,  
 & Claudius Guinius Bellovacensis Ca-  
 pituli Decanus, præter Nicolaum Hesse-  
 linum, & Joannem Gobellinum sancti  
 Dionysii Religiosos, ac Parisenses Do-  
 ctores.

### §. LXXIII.

#### *Mandata per Cliellam ad magnum Etruriæ Ducem deferenda.*

Præter duas hasce epistolas, quas Cliel- *Let. d'Offat*  
 la Romam ad Pontificem deferre *pag. 251.*  
 jubebatur, insuper eidem injunctum,  
 ut ad magnum Etruriæ Ducem pergens  
 eidem hæc exponeret: „Enimvero Rex  
 „non illico juxta amicorum suorum vota  
 „ad Catholicæ Ecclesiæ sinum reversus

Z 3 „est,